



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Mulieres quæ in Confessione audiendæ non sint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

tate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se reuertantur.

*Mulieres quæ in Confessione audienda non sint.*

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur: quæ ceruffatæ veniunt, quæ fucis v-  
tuntur, quæ faciem stibijs depingunt, quæ ex  
auribus monilia gestant, quæ leuibus, & vanis  
ornamentis, quæ pannis aureis, alijsue simili-  
bus lasciujs promptè, ac comptè accedunt, &  
vt semel omnia dicam, quæ vestes modestas non  
habent, nec simplici cultu incedunt, nec in ca-  
pite velum aliquod gerunt, quod notabiliter  
non transpareat, quæue saltem operimentum  
ex lino, lanaue confectum, vel peplum sobrij  
alicuius coloris non habent: sic enim huius Sa-  
cramenti reuerentiam decet, & ita prorsus co-  
gnitioni peccatorum, & de eisdem dolori inti-  
mo consentaneum est, cum scilicet cogitare de-  
beant, quod ante tribunal, & iudicium Domini  
Dei sui se fistant, ac quasi peccatrices misericor-  
diam, & veniam suppliciter de eisdem implora-  
turæ veniant.

Idem necesse est in viris obseruetur, vt vide-  
licet ad confessiones non admittantur, qui ve-  
stiti viro indecenti, qui auro intextis pallijs v-  
tuntur, qui lasciujs pileorum ornamentis induti  
sunt, qui item cum armis accedunt, aut simili-  
bus rebus.

Maius multò studium Confessarius ponat in  
interiore animi præparatione, quando necesse  
est, prudenter inquirenda; ea enim planè ad hoc  
Sacramentum requiritur, cerniturque maxi-  
mè in

mè in leria, & solida peccatorum examinatione, quæ ad vnumquemque pertinet, ita vt vniuersi, quantum in se est. eum animi dolorem, qui iure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma, ac constanti deliberatione animi, tum præteritis satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi. In quibus igitur eam præparationem desiderari animaduertent, verbis beneuolis persuadere conabuontur, vt denuò conscientiam suam diligentius examinent, ac rectè sese præparent.

*Quomodo malè homines ad Confessionem parati accedunt.*

Signa autem ex quibus coniectura capi potest, eos sine iusta præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt. Si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum auulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si Confessarius iam tum præsciat, quòd à confessione nihilo minus, ac ante suis in peccatis sint perseueraturi, siue quod in se peccatum mortale quodpiam teneant, vel quòd occasionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, siue quòd aliena bona, cum possint, restituere negligant.

Aduertat tamen Confessarius, si pœnitentes studij nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit: & obseruet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessariò aliquid ijs deesse, vt ipsemet quod deest supplet sua industria, & ad

cogni-